Quelle:
Copyright:

pellat, non illum ſane, quem *Quetifus* jam a. 1389. *Lombarienſem* in *Occitania* Epiſcopum facit. Proluſio prior habita ad calcem dicitur: 1411. *anno in feſto ſancti timothei quo tempore moriebatur Marchio Morauie*, nempe *Jodocus;* altera *anno &c. XI. ſexta poſt feſtum ſancti Andree quo anno honorabilis vir Magiſter Johannes Berwardi manibus occubuit malignorum, cuius anima per dei piam miſericordiam requieſcat in pace Amen.* Vir hic, qui jam a. 1401. et iterum 1403. Rector Academiae praefuerat, ejusdem Nuntius ad *Johannem* XXII. recens creatum *Italiam* petierat. Reducem occubuiſſe ait Autor *Conſpect. Hiſt. Univ. Vien.* p. 97. et quidem in *Hetruria*, quod mox Lector Auguſtinianorum ad Literas, resque ejus *Florentia Viennam* adferendas miſſus fuerit, ſed violentam ejus fuiſſe mortem ignoravit.

IV. *fol.* 112. p. 2. Elenchus Nominum celebrium PP. et Doctorum nullo ordine ſervato. Primus *Scotus*, dein *Bragwardinus doctor profundus*, *Gregorius de Arimino legit anno 1344. pariſius*, reliquis nihil additum. Ignotiores ſunt: *Adam*, fortaſſe *de Mariſco* O. M. Anglus, *Craton*, *Syraffridus*, *Brinckl*, fortaſſe *Petr. de Bruniquello* O. S. Aug. *Elephat*, nempe *Rob. Eliphat* O. M. Anglus, *Jacobus de alta villa*, memoratus *Trithemio* Abbas *Eberbac. Johannes de Rippa* notus *Gesnero*. Subjecit Compilator: *Hec ſcripſi anno* (14) XII. *circa feſtum ſancti pauli quo tempore dominus rex vngarie Sigismundus in 2° anno ſue electionis ad regnum romanorum litem magnam inijt cum venetis* (Sabell. Ennead. IX. L. 9.) *et tunc dominus Erneſtus dux auſtrie* (nuptiarum cum Cimburgi Maſſovia cauſſa) *fuit in kracouia.*

V. *fol.* 113. Elenchus Quaeſtionum, quae formari poſſunt ex Epiſtolis Canon. *Petri* et *Joh.* hoc initio: *Yſti ſunt tituli queſtionum ſuper prima epiſtola beati petri. Capitulum primum, lectio prima. Vtrum aliquis poſſit credere uel diligere deum, quem nec vidit nec cognouit* &c. *Fol.* 127. idem labor in Epiſtolam *Jacobi* continuatur.

VI. *fol.* 114. rurſus duae Proluſiones *pro principio*, ut ait Autor, *meo tertio*, et *Queſtio principij quarti.* Ad prioris calcem notatur: *Anno Domini M. CCCC. XII. in die Sancti Marci ſcriptum. In ſcolis vero factum eſt hoc principium anno eodem in die Gottbardi cum Magiſter meus Reverendus Magiſter Lampertus* (de Geldria quater Academiae Rector, mort. 1419.) *eſſet in Vngaria* (occaſione fortaſſe Cruciatae contra Ladislaum) *et ante hoc ad octo dies direxi Magiſtro Jo.* (Rudolphi de) *Hamelburg 32. florenos per Dominum Heinricum Weiſtum capellanum kreyer.* Ad poſterioris: *Anno &c. XII. hoc principium finiui ſcribendo, ſecunda feria ante feſtum ſancti Mathei apoſtoli ipſumque in ſcolis pronunciaui in craſtino ejusdem apoſtoli, ſcilicet quinta feria, erat illud feſtum*

quarta